V^ram equitati locum daturam planè confidimus. Quod reliquum est, S:^tem V^ram prosperrima in multos annos valetudine ac felicissimis rerum omnium successibus frui ex animo optamus. Dat. Pragæ 12. Sept. 1589.

Ad Don Felicem de Arragonia Præfectum præsidij Hispanici Civitatis Plumbinens. 135

Rudolphus etc. Nobilis etc. intelleximus nobilem nostrum et Sac: imperij fidelem, dilectum Alexandrum Appianum Plumbini Dominum à nefariis ac sceleratis quibusdam hominibus vim per oppressum atque interfectum esse. Quod quoniam per se factum atrox est ac indignum, graviter sanè ac molestè accipimus. Miramur autem, cum ea res tibi omnium optimè cognita est, potuerit nihil planè abs te significatum esse, quod pro ea, qua nobis cum Sereniss. Rege Hispan. Cathol: a[v]unculo, sororio ac fratre nostro charissimo, cujus tu partes istic sustines, intercedit conjunctione certissimè expectabamus. Cum igitur nihil adhuc antequam de toto negotio plenè edocti simus, de regimine est, quomodo id institui in posterum velimus, decernere possumus, ea propter ipsis civitatis Plumbini Magistratibus mandamus atque injungimus, ut jus justitiamque nomine nostro per eosdem, per quos dicto Alexandro Appiano vivente administrabantur, donec ulterius voluntatem declaremus nostram, administrentur, nihilque novi innovari permittatur, quemadmodum in exadjuncto videbis exemplo. Quod cum illi curaturi sint, nihil abs te molestiæ vel impedimenti adhibendum confidimus, quod etiam benignè requirimus. Ut verò etiam de facinore ipso quomodo et à quibus perpetratum sit quæ tibi constent accuratè ad nos quamprimum rescribas, te clementer hortamur et commonefacimus. Facturus es in eo rem te dignam et Nobis gratam, quam gratiâ nostra Cæs.^a et occasionem benignè agnoscemus. Dat: Pragæ die XVII Octob: ao 1589.

Mandatum patens ad Civitatem Plumbinensem, ne interfecto Alexandro Plumbini Domino quicquam innovetur. 136)

Rudolphus etc. Universis ac singulis nostris et Sac. imperij